

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De victore Idumaeorum Es. 63, 1 - 6

**Abicht, Johann Georg
Pfaffreuter, Christoph Heinrich**

Leipzig, 1712

VD18 14793431-ddd

§. VII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130619](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130619)

elem, hoc feci, quia magnus sum ad salvandum. Nimis prese-
 se vocem מרבר loquens accipit, quæ usu scripturæ fre-
 quenter effectum & operationem connotat, quod se-
 quentia verba רב להשיע רב magnus ad salvandum indicant;
 quæ nimis angusta videntur, ut homini tribui possint,
 quin potius eadem soli Deo competere existimamus,
 qui alias Jes. XLIII, 3. Sanctus Israelis משיעך Salvator tu-
 us, & cap. LX, 16. Dominus Deus Salvator tuus appellatur. Re-
 spondet ergo Victor in visione Prophetæ apparens, se eum
 esse, qui justus sit, iustitiamque omnibus administret,
 eaque gaudeat potentia fideles suos ex omnium cala-
 mitatum diversitate eripiendi, contra gravissimos ho-
 stium insultus defendendi, hostesque ipsos opprimen-
 di, ne quid adversi amplius fidelibus timendum sit.

§. VII.

Audito hoc Victoris responso propheta in inter-
 rogando perguit: מרוע אדום לרבושיך cur rubedo est su-
 per vestimentis tuis, h. e. cur sanguine conspersa sunt ve-
 stimenta tua? אדום proprie denotat rubicundum,
 sed teste Mario de Calasio in Concord. hoc concretum
 etiam pro abstracto ponitur, ut verti possit: quare rubedo
 est super vestimentis tuis, vel quod unum idemque: cur ru-
 bicunda sunt vestimenta tua. לרבושיך vertimus super vesti-
 mentis tuis, quia ל prefixum derivatur ex על super, quæ
 derivatio textui est maxime conveniens. Nec audi-
 mus Kimchium, qui ל h. l. redundare putat uti 1. Paral.
 III, 1. לאבשלום לשלי tertius (filius) est Absolon, ubi ל
 superfluum nec in parallelo 2. Sam. III, 3. legitur, &
 quæ similia. Verum enim vero non opus est, ut, cum
 ordinaria satisfaciant, ad extraordinaria confugiamus.
 Præterea Propheta hac phrasi alludit ad Idumæam ju-
 cunda Paranomasia, quæ versione nulla exprimitur.
 Cum enim dixisset, quis est ille, qui venit ex Edom? perguit,

cur

cur Adom rubra sint vestimenta tua. Idem Schema in sequentibus verbis repetitur, dicendo: ובגדיך כרוך בגת *Et vestimenta tua sicut calcantis in torculari.* Grotius existimat voce בגת *begath in torculari*, etiam respici ad urbem Philistinorum Gath, quia Iudas Maccabæus primum cum Philistinis, & deinde cum Idumæis pugnavit, sed hæc allusio nititur falsa hypothesi, quam infra discutiemus. Nostrarum vocum significatus metaphoricus est, proprius reperitur Neh. XIII, 15. isto tempore vidi in Juda גתות בשבת רורכים *calcantes turcularia in Sabbatho.* Impropius de Judæis ab irato Deo prostratis legitur Lament. I, 15. Conqueritur ibi Judæorum devastatus inque captivitatum abductus populus inquam: *Convocavit DEus super me exercitum ad frangendum juvenes meos electos* גת דרך ארני לבתולה בת יהורה *torcular calcavit Dominus super populum Judæ,* Joel. III, 13. Exinde facile patet hac phrasi magnam gentis alicujus destructionem indicari, quæ vel gladio vel captivitate vel alio quodam calamitatis genere fieri solet. Quemadmodum autem in Jeremiæ Lament. Judæos Deus conculcasse dicitur, licet id non immediate ab ipso Deo, verum a Babyloniis hostibus factum esse constet; ita cum Jesaias suum Victorem Deum loquentem introducit, eumque torcular calcasse dicit, non existimaverim ipsum immediate hostes Idumæos prostravisse, sed per alios id fuisse exequutum.

S. VIII.

Quæstioni novæ denuo respondet Victor noster פורה דרכתי לברי *Torcular calcavi solus.* Continuat allegoria ab interrogante incepta. Quærebat ex eo Propheta: *cur rubrum est vestimentum tuum, Et vestes tue sicut calcantis torcular?* cui respondet Victor: *Torcular calcavi solus.* פורה descendit a פור *frangi, rumpi, inde*